1a Autenrieth

1798.

1. Blumenstiel, Augustus Gottlieb: Vindiciae communis opinionis de acceptatione in tentatione mortis causa necessaria

1b Bochmer

2. Bochmer, Georgius Rudolphus: De medicamentis vertiginosis sapientibus

3. Klien, Carolus: De pretio rerum furto abstractarum recte constituendo.

4a. Kreysig, Fridericus Ludovicus: Facultatis medicae Vitebergensis ... decanus: dissertationem inaug. Georgii Friderici Wachii inspicit Ernst: De sanguine vita destituto

4b Kreysig – Pulzberger

5. Stuckel, Christophorus Carolus: Ord. iuridici ... decanus: ... summos in iure honores ... candidato Augusto Gottlieb Blumenstiero ... conferendos iudicat.

6. Stuckel, Christophorus Carolus: Ord. iuridici ... Prodecanus: summos in iure honores ... candidato Carolo Klieno ... conferendos iudicat

7.

7. Titius, Salomo Gottlieb: Dissertatio inaug., quaedam experimenta chemica cum tribus mineris stanniferis in variis cibis, stannique ex iis dem elicitis, instituta, exhibens.

8. Vorsdorffius, Gottlieb: Dd. jurisci ... Decanus: Lectori benevolo salutem (et dispositionem inaug. Summi Benjamini Reyheri invitat) Quest: An filii vasalli nobilis in Saxonia beneficio competentiae gaudeant?

9a. Vorsdorffius, Gottlieb: Dissertatio inaugralis juridica sistens nonnulla et multiplicem aegatem et legatam spectantia capita.

9b. Wiesand – Wiesand

10. Zschorrnack, Carolus Salomo: Historiae feudorum notitiam, quae sunt in dominiis principis Electoralis Saxoniae adumbratio

11. Zschorrnack, Carolus Salomo: De Dioecesione Saxoniae Electoralis in circulos.

1a Cherilius

1799. 1b Ebert

1b Kluegel, Ernestus Guilelm. Christianus: Collegii iuridici . . . decanus l. b. s. (ad repetitionem inaug. Christ. Ferdinand. Weise invitat.

2. Kluegel, Ernestus Guilelm. Christianus: Quaedam ex iure actionum

3a Kluegel, Ernestus Guilelm. Christianus: De quantitate annua, in poenae causae fervorem legata, certa quamvis simul assignata sorte, immutabili 3b Kreyssig-Schroeter

Mpenler, Jacobus Godofredus

4a ~~Lachmann, Carolus Salomo~~: De interdictis ordinariis atque summariis nec non de interdictorum processu.

4b Tillius

5. Weise, Carolus Ferdinand: De mutuo, quibus demum facto datio restitutio fieri possit, ac de usuris, usuram mitigandam, effectu.

6. Wiesandius, Georgius Stephanus: Vol. iuridici . . . decanus: lectori benevolo salutem (ad repetitionem inaug. Gemmi Godofredi Maenleri invitat)

7a Wiesandius, Georgius Stephanus: De testamenti factione Militarium

7b Wiesand-Heinsdorf

8. Wunder, Carolus Fridericus: Utrum prima Joannis epistola auctori a Judaeis et Judaeo-Christianis misto scripta est.

9. Zachariae, Carolus Salomo: De dominiis, quae est auctori in libris a se conscriptis

10. Zachariae, Carolus Salomo: Quomodo Veteri Romani de delictis eorumque poenis philosophati sint?

1805.

1. Fenke, Joannes Christianus: De notione stupri violenti

2. Hommelius, Christianus Gottlieb: Varia juris capita.

3. Moerlos, Joannes Gottfried: De notariis publicis

4. Kluegel, Ernestus Gottlob. Christianus: Capita juris varia

5a. Kreysig – Kotze

5b. Moerlos, Joannes Gottfried: De notariis publicis

6a. Moerlos, Joannes Gottfried: Observationes quaedam

6b. juris criminalis criticae.

Poemitz

7. Titius, Salomo Constantinus: Mortis epigrotici feliciis a. 179[illegible] fatalis historia

8. Wernsdorffius, Gottlieb. Ord. iuridici . . Decanus:
Lectori benevolo salutem (ad disputationem Caroli Friderici
Barsiani invitat) Inest: An ea, quae stipulatio pensavit,
si stipulatorum actione ex sponsu convenerit, transactione
autem interveniente, huic obstitit renunciaverit, dubium petere
possit?

9. Wernsdorffius, Gottlieb: ~~Ord. iuridici . . Decanus~~: Capita
iuris varia.

10. Wernsdorffius, Gottlieb: Capita iuris varia

11. Wiesandius, Georgius Stephanus: Theses iuris variae

12. Wiesandius, Georgius Stephanus: Theses iuris variae

13. Zachariae, Carolus Salomo: Origines oeconomiae civitis
in territoriis imperii Germanici receptae

DISCEPTATIONES IVRIS

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE VII. MART. A. R. S. CIↃIↃCCCI.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSVRVS EST

FRIDERICVS CHRISTIANVS LEONHARDI

LIPSIENSIS.

SPECIMEN VI.

VITEBERGAE.

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.

I.

Vxor Saxonica de bonis receptitiis pro arbitrio disponere potest.

De bonis vxorum receptitiis in foris nostris crebrae oriuntur controuersiae, de quibus saepius cum magno litigantium incommodo, diu multumque disceptari solet. Sunt, qui mulieribus plus iusto tribuant, iuribus maritorum parum amici. Alii e contrario maritis ita fauent, vt vxores in seruilem quasi conditionem detrudant, iisdemque omne de rebus suis statuendi arbitrium adimant. Cum vero publice intersit, ne quis iure suo abutatur, non erit a proposito alienum, quaestionem, quaenam iura vxor Saxonica circa bona receptitia exercere queat, in praesenti excutere paullo diligentius. Ne vero more andabatarum pugnemus, atque in vanas verborum contentiones incidamus, ante omnia, quaenam notio bonis receptitiis sit subiecta, praemittendum esse, censemus. In sensu quidem proprio ac grammatico *recipere* nihil aliud est, quam rursus accipere, siue recuperare. Apud veteres Romanos vero hoc verbum vsurparunt inprimis venditores praediorum rusticorum vel vrbanorum, qui in iisdem alienandis quaedam sibi reseruarunt propria ita quidem, vt ea ad emtores haud transirent. Sic Callicles apud Plautum in *Trinumm. Act. 1. scen. 2. v. 157:*

Posticulum hoc recepit, cum aedis vendidit.

Hunc locum Taubmannus commode interpretatur de venditore posteriorem partem aedium sibi excipiente. Ita quoque venditores aedificiorum sibi saepius ruta caesa reseruare, siue recipere solebant. Cicero in *Top. cap. vlt.* Plura exempla huc pertinentia collegit Barnab. Brissonius *de formul. popul. Roman. Libr. 6. n. 27. et 42. edit. Conrad.* Sed et mulieres, quae dotem maritis afferebant, dum quaedam bona sibi propria retinebant, ea recipere dicebantur. Prouocamus hic ad testem satis locupletem, A. Gellium, qui in *Libr. 17. cap. 6.* haec tradit: *quando mulier dotem marito dabat, tum quae ex suis bonis retinebat, neque ad virum transmittebat, ea recipere dicebatur.* Ex hoc vero loco simul apparet, M. Catonem in oratione, qua legem Voconiam suasit, serui receptitii mentionem fecisse, atque Verrium Flaccum eum pro homine ob aliquod vitium redhibito ideoque recepto, accepisse. Hanc quidem opinionem Gellius vituperat tamquam friuolam, simulque monet, seruum receptitium esse vxoris proprium, quem cum pecunia reliqua receperat, neque doti dederat, sed retinuerat. Hinc Nonius Marcellus *de significat. verbor.* sub. *verb. recipere*, vim huius vocabuli sic explicat, vt idem exprimat, ac exceptum facere. In eodem sensu illud adhibuit Paulus in *l. 40. §. 3.* D. *de contrah. emt.* Sed in alio prorsus sensu occurrit dos receptitia in *l. 31. §. 2.* D. *de mort. causs. donat.*, cuius indolem Vlpianus in *Fragment. Tit. 6. §. 5.* ita describit: *aduentitia dos semper penes maritum remanet, praeterquam si is, qui dedit, vt sibi redderetur, stipulatus fuit, quae dos specialiter receptitia dicitur.* Licet vero ex iis, quae proposuimus, satis manifestum sit, ea bona, quae vxor sibi iure dominii reseruat, recte dici receptitia; nonnulli tamen negarunt, Romanos vnquam agnouisse quaedam bona receptitia a paraphernis distin-

cta.

cta. Sic quoque statuit Christian. Vlric. Grupenius in *Tractat. de vxor. Roman. cap. 6. p. 322. seq.* Ad hanc opinionem recte diiudicandam faciunt diuersa bonorum genera, quae vxores ad maritos afferebant, vel constante matrimonio adquirebant, accurate discernenda. Constat inter omnes, vxorum apud Romanos bona fuisse vel dotalia, vel paraphernalia, quo quidem nomine in genere insigniebantur cuncta, quae mulier praeter dotem, in maritalem domum inferebat, vel alio modo adquirebat. Dotis quidem origo ab ipsa necessitate videtur esse orta, vt vxor legitima a concubina discerneretur. Certe iam adolescens Lestonicus apud Plautum in *Trinumm. Act. III. scen. 2. v. 62. seqq.* haec profert:

Nolo ego mihi te tam prospicere, qui meam egestatem leues,
Sed vt inops infamis ne sim, ne mihi hanc famam differant,
Me germanam meam sororem in concubinatum tibi
Sic sine dote dedisse magis, quam in matrimonium.

Cum quoque Romani, inuectis diuitiis ac crescente luxuria, a prisca frugalitate recedere coepissent, puellae lautis dotibus instructae videbantur esse maxime amabiles. Multum quoque vsum dotium auxit lex Voconia, qua fuit cautum, ne quis heredem faceret mulierem, nec eidem vltra centum millia HS. legaret. Ita vero filiae ab hereditate parentum et propinquorum fuere exclusae, quibus ideo nulla re melius, quam datis amplis dotibus, consuli potuit. De hoc quidem argumento docte exposuit Iacob Perizonius in *dissert. de leg. Vocon.*, quae exstat in *Triad. dissertat.* cura Heineccii edita *p. 102. seqq.* Licet vero iam antiquis temporibus liberalitate parentum filiabus vel neptibus saepius obtigerint dotes satis fructuosae; earum tamen constitutio nondum fuit necessaria, sed potius mere voluntaria. Etenim Iustinianus in *l. 20. C. de donat. ante nupt.* obseruat, iuris antiqui condito-

res donationibus etiam dotes annumeraſſe. Sed poſtea iis, qui liberos in poteſtate habebant, partim lege Iulia, partim Conſtitutione Seueri et Antonini neceſſitas dotandi fuit impoſita. *L. 19.* D. *de rit. nuptiar.*, quam praeclare illuſtrauit Heineccius in *Commentar. ad L. Iul. et Pap. Popp. p. 334. ſeqq.* Cum vero dos potiſſimum inſeruiat ſuſtinendis matrimonii oneribus, atque onus alendi vxorem et liberos ex ea ſuſceptos incumbat marito tamquam principi familiae, facile apparet ratio, cur eadem in dominium mariti tranſierit. Ab his bonis dotalibus multum differunt paraphernalia, quorum conditionem luculenter Vlpianus in *l. 9. §. 3.* D. *de iur. dot.* expreſſit. Vt vero melius intelligatur, quaenam iura in eiusmodi bonis maritus fuerit conſecutus, iuuat integra *legis excitat.* verba hic afferre, quae ita ſe habent: *ceterum ſi res dentur in ea, quae Graeci παραφερνα dicunt, quaeque Galli peculium appellant, videamus, an ſtatim efficiantur mariti? Et puto, ſi ſic dentur, vt fiant, effici mariti: et cum diſtractum fuerit matrimonium, non vindicari oportet, ſed condici, nec dotis actione peti, vt D. Marcus et Imperator noſter cum Patre conſci ipſerunt. Plane, ſi rerum libellus marito detur, vt Romae vulgo fieri videmus: nam mulier res, quas ſolet in vſu habere in domo mariti, neque in dotem dat, in libellum ſolet conferre, eumque libellum marito offerre, vt is ſubſcribat, quaſi res acceperit: et velut chirographum eius vxor retinet, res, quae libello continentur, in domum eius ſe intuliſſe: hae igitur res, an mariti fiant, videamus? Et non puto: non quod non ei tradantur; quid enim intereſt, inferantur volente eo in domum eius, an ei tradantur? Sed quia non puto, hoc agi inter virum et vxorem, vt dominium ad eum transferatur, ſed magis, vt certum ſit, in domum eius illatas, ne, ſi quandoque*

doque separatio fiat, negetur: et plerumque custodiam earum maritus repromittit, nisi mulieri commissae sint. Videbimus harum rerum nomine, si non reddantur, vtrum rerum amotarum, an depositi, an mandati mulier agere possit? Et si custodia marito committitur, depositi, vel mandati agi poterit: si minus, agetur rerum amotarum, si animo amouentis maritus eas retineat; aut ad exhibendum, si non amouere eas connisus est. Inde vero intelligitur, diuersis modis apud Romanos constituta fuisse bona paraphernalia ita quidem, vt vxoris arbitrio fuerit relictum, vtrum eorum dominium marito concedere, an duntaxat eorum administrationem, vel solam custodiam eidem permittere voluerit. Si eius administrationi fuissent commissa, actio mandati aduersus eum locum habebat. Nec is, vxore inuita, eorum administrationem sibi arrogare poterat. Ita enim rescripsere Imperatores Theodosius et Valentinianus in *l. 8. C. de pactis conuent: hac lege decernimus, vt vir in his rebus, quas extra dotem mulier habet, quas Graeci parapherna dicunt, nullam, vxore prohibente, habeat communionem, nec aliquam ei necessitatem imponat. Quamuis enim bonum erat, mulierem, quae se ipsam marito committit, res etiam eiusdem arbitrio gubernari: attamen, quoniam conditores legum aequitatis conuenit esse fautores, nullo modo (vt dictum est) muliere prohibente, virum in paraphernis se volumus immiscere.* Si igitur vxor sibimet ipsi custodiam atque administrationem eiusmodi bonorum reseruasset, nihil iuris marito in iis competebat ideoque eadem bonis receptitiis merito sunt annumeranda. Confer Io. Henric. Bergeri *dissertat. de discrim. bonor. vxor. §. 15.* Nihil vero iure ciuili interest, num vxor eo tempore, quo nuptias init, an postea, matrimonio dudum perfecto, quaedam bona sibi retineat tamquam pro-

pria,

pria, cum his omnibus nomen receptitiorum probe conueniat. Late profecto patet bonorum receptitiorum appellatio, atque suo ambitu complectitur cuncta, quae vxor vinculo connubii adhuc constricta sic adquirit, vt inde nihil iuris ad maritum perueniat. Huc quoque pertinent bona in vxorem sub hac conditione collata, vt iis potiatur sola, marito ab omni iure excluso. Iure quidem Romano non solum ascendentibus, sed etiam personis extraneis licet filiisfamilias aliquid per vltimam voluntatem relinquere, vel etiam donare sub hac conditione, ne inde pater, cuius potestati liberi adhuc subsunt, vsumfructum percipiat. Ita enim in *Nouell. 117. cap. 1.* constitutum est: *sancimus igitur, licentiam esse et matri et auiae aliisque parentibus, postquam reliquerint filiis partem, quae lege debetur, quod reliquum est suae substantiae, siue in solidum voluerint, siue in partem, filio vel filiae, nepoti vel nepti, et deinceps descendentibus donare, aut etiam per vltimam relinquere voluntatem, sub hac definitione atque conditione, si voluerint, vt pater, aut qui omnino eos habent in potestate, in his rebus neque vsumfructum, neque quodlibet penitus habeant participium. Haec enim et extraneis relinquere poterant, vnde nulla parentibus vtilitas nasceretur. Hoc itaque non solum parentibus, sed etiam omni personae licere praecipimus.* Concessit Iustinianus simul filiisfamilias perfectae aetatis facultatem, de eiusmodi rebus pro arbitrio disponendi. Eos tamen super eiusmodi rebus testari haud potuisse, ex *l. 11. C. qui testament. facere poss.* cognoscitur. Postquam Romae noua testandi ratio fuit introducta, etiam mulieres testamenta condere potuerunt. *L. 5. D. qui testament. fac. poss.* Hinc non est dubium, quin etiam vxoribus sui iuris super bonis receptitiis, siue ipsae sibi ea reseruassent, siue aliunde accepissent, mortis caussa statuere

ſtatuere permiſſum ſuerit. Sed miſſo iure peregrino, nunc ad inſtituta domeſtica tranſeamus. Diſtinctio bonorum vxoriorum in dotalia, paraphernalia, atque receptitia priſcis Germanorum moribus haud congruebat. Etenim, teſte Tacito *de morib. German. c. 18.* non vxor marito, ſed vxori maritus dotem afferebat, eo ſcilicet conſilio, ne vxori aliquando viduae deeſſent alimenta ad vitam commode degendam neceſſaria. Ex variis quidem formulis, quibus aetate media dos conſtitui ſolebat, luculenter apparet, maritos ita proſpexiſſe vxoribus, vt in ea dominium plenum conſequerentur. Conſer Baluzii *Capitular. reg. Francor. Tom. II. p. 455.* et *p. 532. ſeq.* Hanc dotem antiquam merito comparaueris cum viduaritio, noſtris adhuc moribus vſitato. Sed de dote Germanorum antiqua plura afferre nihil attinet, praeſertim cum vxor eius commodum demum poſt obitum mariti perceperit. Non tamen eſt exiſtimandum, vxores olim in Germania ad maritos veniſſe prorſus inopes, atque eas in ipſo coniugio omni caruiſſe patrimonio, cum ad maritos ex facultatibus parentum pecora variamque ſupellectilem vſui familiae accommodatam attulerint, id quod iam animaduertit Heineccius in *Element. iur. German. Libr. I. Tit. 11. §. 241.* Quin matrimonio vix contracto, noua vxor a marito accipiebat donum iſtud nobile, quod in legibus priſcis ſaepe ſub nomine *morgengabae* occurrit. Hoc vero donum a dote antiqua valde fuiſſe diuerſum, ex *leg. Ripuar. Tit. 37. §. 2.* ſatis intelligitur. Adde Gundlingii *diſſert. de emt. vxor. Cap. 3. §. 16. ſeqq.* Vxor quidem olim *morgengabam* pleno iure dominii adquirebat, nec ſine eius conſenſu, maritus eam alienare poterat. *Ius prouinc. Alaman. Cap. 296. p. 30. ſeq.* in *edit. Berger.* Huius moris priſci veſtigia et hodie ſuperſunt, cum perſonae illuſtres adhuc *morgengabae* plenum dominium in vxores transferre

ferre ſoleant, vti variis exemplis comprobauit Struuius in *Iurisprudent. heroic. Part. 3. p. 144. ſeqq.* Diſertis verbis morem vetuſtum confirmat *Ordinat. prouinc. Henneberg. Libr. 3. Tit. 2. c. 5. §. 1: nachdem die Morgengab der Frauen von dem Mann nicht auf den Widerfall, ſondern eigentlichen übergeben wird, ſo mag eine jede Frau damit frey und lediglichen, wenn ſie will, ihres Willens und Gefallens handeln, die verſchenken und übergeben.* Non vero eſt dubium, quin ab eo tempore, quo dos Romana in Germania inualuit, etiam diuerſa bonorum vxoriorum genera diſcerni coeperint. Hodie iura domeſtica in hac re mirum in modum variant. In multis locis inter coniuges communio bonorum vniuerſalis, in aliis particularis viget. Inde vero diuerſa oriuntur iura, quae diligenter expoſuit Chriſtian. Gottlieb. Riccius in *Spicileg. iur. German. p. 531. ſeqq.* Cum vero pacto ſaepe derogetur iuri prouinciali et ſtatutario, nemo mirabitur, etiam in iis locis, in quibus bona coniugum ſolent eſſe communia, plerumque in pactis dotalibus aſſignari vxori quaedam bona tamquam receptitia, quae vulgo dicere ſolent *Bandgeld*, *Spielgeld*, *Nadelgeld.* Si ſic fuerit conuentum, *die Paraphernal-Güther bleiben der Frau zu ihrer Diſpoſition*, hac quidem formula indicari bona receptitia, ſtatuerunt Iureconſulti Hallenſes. *Conſil. Hallenſ. Libr. I. Conſil. 145, 6. ſeq.* De eiusmodi bonis, quae vxor pleno iure tenet, ea in regula, cum inter viuos, tum mortis cauſſa, ſuo arbitrio disponere poteſt, licet negandum haud ſit, multis in locis facultatem vxoris in euentum mortis quid ordinandi, vti Heineccius in *diſſertat. de teſtament. fact. iur. German. arctiſſ. limitib. paſſim circumſcript. §. 17.* oſtendit, valde eſſe reſtrictam. In foris noſtris ſaepe mouetur quaeſtio, num vxor Saxonica de bonis receptitiis libero arbitrio, in-

ter

ter viuos ac mortis caussa statuere queat? Hoc siue quis affirmet, siue neget, in varias difficultates incidit. Si vxori liberam potestatem de eiusmodi bonis disponendi permittis, iura maritorum parum curare, quin ea minuere videris. Etenim iam in *iur. prouinc. Saxon. Libr. I. art. 31.* haec traduntur: *Mann und Weib haben nicht gezweyet Guth zu ihrem Leibe. – – Kein Weib mag auch ihres Guths nichts vergeben, ohne ihres Mannes Willen, das er durch Recht leiden dörf. Wenn ein Mann ein Weib nimmt, so nimmt er sie in seine Gewähr, und alles ihr Guth zu rechter Vormundschaft.* Adde *Libr. I. art. 45.* Ex hoc vero loco patet, maritum esse vxoris tutorem legitimum, ideoque eiusdem bona administrare, atque ex iisdem percipere vsumfructum, vxorem vero, inscio vel inuito marito, bona sua in alios transferre haud posse. Haec vero tutela cum vsufructu legitimo conuncta, hodie adhuc vsu seruatur, neque lucrum, quod ipsae leges concedunt, alicui inuito est auferendum, vel minuendum. *Nouell. 22. c. 33.* Huc accedit, quod maritus in res mobiles defunctae vxoris, gerada excepta, succedat. *Ius prouinc. Saxon. Libr. 3. art. 76.* Hanc vero successionem ius Saxonicum recentius confirmat. *Constit. Elector. 22. Part. 3.* De hoc argumento consulendi inprimis sunt Christoph. Philipp. Richter *de iur. et ord. success. ab intestat. Sect. 4, 2.* et August. Frider. Schottus in *Institut. iur. Saxon. Libr. 2. Sect. 4. c. 2. §. 3.* Praeterea iure Saxonico cautum est, ne vxor intuitu rerum mobilium quid in fraudem mariti statuat, *Constit. 7. Part. 3.* quam Constitutionem ad alienationes inter viuos esse producendam, censuere Auctores *Consultat. Saxon. P. 5. cas. 37.* Hinc quoque Hommelius in *Rhapsod. Obseruat. 787.* statuit, vxorem in Saxonia de bonis receptitiis mobilibus in detrimentum mariti, mortis caussa disponere haud posse. Ne-

que

que negandum, omnia, quae vxor, constante matrimonio, siue casibus fortuitis, veluti per hereditatem, legata et donationes, siue arte, labore atque industria adquirit, referenda esse ad bona paraphernalia. Concedimus quoque, matrimonio iam contracto, vxori non amplius esse integrum, inscio vel inuito marito, quaedam bona sibi reseruare tamquam pleno iure propria. Sed haec argumenta nobis non videntur tanti esse ponderis, vt ideo vxori facultas de bonis suis receptitiis mobilibus in euentum mortis disponendi, sit deneganda. Est quidem maritus adhuc curator vxoris legitimus, qui eius bona paraphernalia administrat, atque iisdem vtitur ac fruitur. Sed, cum cuiuis iuri pro se et in commodum proprium introducto renunciare permissum sit, non est dubium, quin is, vel pacto interposito, vel ipso facto tacite consentire queat, si vxor quaedam bona sibi soli retineat tamquam propria. Huc pertinet ea species, quando vxor, consentiente marito, sibi soli paraphernorum administrationem atque vsumfructum reseruat, de qua conferendus est Caspar. Henric. Hornius in *Responf. Class. 3. Resp. 3. 4.* Neque huic sententiae obstat locus *iur. prou. Saxon.* supra *adductus*, quia tutela mariti legitima ad bona receptitia, tamquam mariti arbitrio exemta, haud pertinet. Ipsa indoles eiusmodi bonorum sic est comparata, vt tacite facultatem iura pleni dominii exercendi contineat. Neque ratio iuris Romani, quae filiumfamilias de peculio aduentitio irregulari testamentum condere haud sinit, ad vxorem Saxonicam est applicanda, propterea quod ea patriae potestati haud amplius obnoxia, suo vtitur arbitrio atque ei facultas testandi salua est. Accidit vero interdum et nostris moribus, vt vel a consanguineis, vel etiam a personis extraneis in testamentis quaedam bona vxoribus relinquantur, ea quidem conditione, ne quid inde iuris ad maritos perueniat. Nihil vero interest, vtrum vxor ea, sciente ac consen-

consentiente marito, an eo inscio vel inuito, num titulo vniuersali, an singulari, acceperit. Eiusmodi bona vxores pleno iure adquirunt tamquam receptitia, vti pluribus ostendit Christoph. Ludouic. Crellius in *dissertat.* de *bon. receptit. vxori testament. patern. constitut. §. 6.* De his vero mulierem Saxonicam libere disponere posse, nemo facile dubitauerit. Nec aliud dicendum de bonis, quae vxor, consentiente marito, sibi quoad proprietatem et vsumfructum reseruauit. Interdum in pactis nuptialibus marito ab vxore certa bonorum assignatur portio, qua deinde debet esse contentus. Carpzou. *Part. 3. Const. 7. def. 13.* Concedimus quidem, maritum succedere in bonis receptitiis mobilibus, si vxor defuncta ea inter viuos haud alienauerit, nec quid de iis in casum mortis statuerit. Tunc enim ea reseruasse censetur marito tamquam heredi mobiliari legitimo. Certe haec sententia cum placitis iuris Saxonici amice conspirat. Etenim *Constitut. 2. Part. 3.* sancitum est, vt tunc, quando quis bona sua mortis caussa donauit, quaedam tamen sibi reseruauit, bona reseruata, si de iis nihil mortis caussa disposuerit, non donatario accrescant, sed heredibus ab intestato cedant. Sed negamus, solam spem succedendi tantum efficere, vt maritus vxorem in libera facultate disponendi de rebus receptitiis impedire queat. Consentiunt nobiscum Iureconsulti magnae in foro auctoritatis, veluti Bergerus in *dissertat. excitat. §. 34. seqq.* Stryckius in *dissertat.* de *iur. marit. in bon. vxor. Cap. 4. §. 4. seqq.* et Leyserus in *Specim. 302. Meditat. 20.* Hinc Ordo Iureconsultorum Vitembergensium anno 1799. maritum, qui post obitum vxoris tamquam heres legitimus petebat eius bona receptitia, quae in testamento sub expressa conditione, ne vnquam ad maritum venirent, fuerant relicta, repulit, additis his rationibus: *Dieweil aus der fol. 39. seqq. beygebrachten Urkunde deutlich erhellet,*

let, daß Klägers verstorbene Schwiegermutter, Iohanna Dorothea Dietzin, das ihr aus der Hofrath Barthischen Erbschaft zustehende Erb-Capital von 9000 Stück Ducaten zum Theil an ihre Kinder, Klägers verstorbene Ehegattinn, Dorotheen Elisabethen Hartmannin, und Iohann Michael Dietzen, dergestalt und mit der Bedingung geschenket, daß der Klägers verstorbenen Ehefrauen davon zukommende Antheil ein Bonum receptitium *seyn, und sie hierüber nach Gefallen und Willkühr darüber zu disponiren befugt seyn, sie auch die alleinige Benutzung und Verwaltung davon haben, jedoch auch sothanen Antheil der Schenkerinn mit 3. von 100. auf ihre Lebenszeit, zu ihrer bessern Auskunft verzinnsen solle, die dieserwegen vorbehaltene Verzinsung aber nunmehr um deswillen wegfällt, weil, besage des fol. 119ª ertheilten gerichtlichen Zeugnisses, die Schenkerinn vor Klägers Ehefrauen verstorben, hiernächst, wenn schon Kläger dadurch, daß er von seiner verstorbenen Ehefrauen von Tisch und Bette geschieden worden, etwas von dem ihm an deren hinterlassenen Vermögen zustehenden Erbrechte nicht verlohren,*

Wernher. *Part. 6. Obseruat. 325.*

auch der Ehemann nach Sächsischen Rechten, wenn seine Ehefrau verstirbt, deren gesammten Mobiliar-Nachlaß, mit Ausschluß der Gerade, erbet,

Sächß. L. R. Libr. 3. art. 76.

Constitut. 22. und 23. Part. 3.

und dannenhero eine Ehefrau zum Nachtheil ihres Ehemannes, über ihr Mobiliar-Vermögen ein Testament nicht machen, auch durch eine andere Disposition selbigen das Recht der Erbfolge nicht schmälern kann,

Constitut. 7. Part. 3.

aus

aus dem fol. 4[b] seqq. *in Abschrift beygefügten Testamente aber abzunehmen, daß Klägers verstorbene Ehefrau solches einseitig und ohne Beystimmung ihres Ehemannes errichtet, auch Kläger, wie* ex fol. 39 seqq. *ersichtlich, bey der von seiner ehemaligen Schwiegermutter ihrer Tochter, Klägers verstorbenen Ehefrauen gemachten Schenkung nicht concurriret, über dieses aber dasjenige Vermögen, welches eine Ehefrau während der Ehe erwirbt,* ad Paraphernalia *gerechnet wird, worinnen dem Ehemanne nach Sächsischen Rechten der Nießbrauch zukommt, auch eine Ehefrau ihr Vermögen, ohne Wissen und Willen ihres Ehemannes, in* Bona receptitia *zu verwandeln nicht befugt, vielmehr hierzu erforderlich, daß der Ehemann seine Einwilligung hierein entweder ausdrücklich, oder* ipso Facto *stillschweigend ertheilt habe,*

Leyser. *Specim. 302. Meditat. 18. seq.*

doch aber auch hierwider in Betrachtung zu ziehen, daß eine Mutter ihren Kindern ihr Vermögen noch bey ihrem Leben zu überlassen und zu schenken allerdings berechtiget, Klägers verstorbene Ehefrau die von ihrer Mutter secundum fol. 39. seqq. *an sie beschehene Schenkung mit Beytritt ihres* Curatoris, *acceptiret, Kläger aber, wie* ex fol. 68[b] seq. *zu ersehen, in die Bestätigung sothanen* Curatoris *gewilliget, gedachte Schenkung auch ohnedies Klägers Ehefrauen zum Vortheil gereichet hat, und selbige auch gerichtlich bestätiget worden, und kein Zweifel, daß einer Ehefrauen auch während der Ehe, ein Vermögen mit der Bedingung, daß es ein* Bonum receptitium *seyn solle, übereignet werden könne, und hierzu ihres Ehemannes Einwilligung nicht erforderlich,*

Crellii *dissert. de bon. receptit. vxori testament. patern. constitut. §. 6.*

auch

auch aus dem, was Kläger fol. 158 seq. *angeführet, sattsam erscheinet, daß er der Beklagten und Mit-Beklagtens Vorgeben, daß Kläger, so lange seine Ehefrau gelebet, sich in die Verwaltung derer* Bonorum receptitiorum *nicht gemischet, nicht bezweifelt habe, das Recht der Erbfolge des Ehemannes in seines Eheweibes nachgelassenes Mobiliar-Vermögen aber nach Sächsischen Rechten sich auf die eheliche Vormundschaft gründet, welche sowohl das Befugniß das Vermögen der Ehefrauen zu verwalten, als auch den Nießbrauch darinnen auszuüben, in sich fasset,*

Sächs. L. R. Libr. I. art. 31.

hieraus aber von selbst folget, daß bey Bonis receptitiis, *worüber die Ehefrau das völlige Eigenthum hat, und woran dem Ehemanne weder die Verwaltung, noch der Nießbrauch zustehet, dieser Grund nicht statt finde, vielmehr selbst aus der Eigenschaft der* receptitiorum *die Folge sich ergiebet, daß eine Ehefrau hierüber nach freyer Willkühr, sowohl unter den Lebendigen, als auch auf den Todesfall disponiren könne,*

Leyser. *Specim. 302. Meditat. 20.*

einfolglich Kläger von dem Mobiliar-Nachlasse seiner verstorbenen Ehefrauen, mit Ausschluß der Gerade, außerdem, was ihm seine Ehefrau in ihrem Testamente beschieden, nur das, was nicht ein receptitium *ist, zu verlangen berechtiget ist, auch er, daß die ihm von der Erblasserinn ausgesetzten 200 Thlr. in das, was er davon bekommt, eingerechnet werden, sich gefallen lassen muß, so sind wir, wie im Urthel enthalten, zu erkennen bewogen worden.*

II.

II.

Appellatio repetita interdum effectum suspensiuum haud producit.

Nihil est in vita communi appellationibus frequentius. Hoc iuris beneficium, si ex iusta caussa oritur, eximia praestat commoda. Cum enim saepius accidat, vt iudex inferior ex imperitia vel ex errore iniquam ferat sententiam, vel ab iis, qui facta legibus contraria suscipere haud erubescunt, grauia pericula ac damna immineant, omnes, quibus iniuria vel iam fuit illata, vel adhuc imminet, ad iudicem superiorem confugiunt, vt ab eo ab omni iniuria defendantur. Hinc recte statuit Vlpianus in *l. 1.* D. *de appellat.* appellandi vsum ideo esse frequentem et necessarium, vt iudicantium iniquitas, vel imperitia corrigatur. Nec aliter sensisse nostros maiores, luculenter ostendit Georg. Ludouic. Boehmerus in *dissertat. de prouocat. apud. veter. German. c. 1.* Huc accedit iuris pontificii auctoritas, quod quidem vsum appellationum vehementer auxit, easque vel in caussis leuioribus admisit. *C. 11.* X. *de appellat.* Qua in re nobis ius Romanum videtur esse longe prudentius. Cum enim Romani animaduerterent, salutem publicam appellationibus temerariis haud parum turbari, quasdam vero caussas ita esse comparatas, vt celeriter sint expediendae, appellandi vsum sapienter restrinxerunt. Sic ius Romanum appellationem contra sententiam interlocutoriam, nisi vim definitiuae habeat, vel alias damnum irreparabile oriatur, haud admittit. *L. 2.* D. *de appellat. recip. vel non. L. 16.* C. *de iudic.* Sed ius pontificium eiusmodi appellationem permittit. *C. 51.* X. *de appellat.* Iure ciuili in caussis momentaneae possessionis appellatio locum non habet. *L. un.* C. *si de momentan. possess.* Sed ea iuri pontificio haud aduersatur. *C. 1.* X. *de sequestrat. possess.* Vti vero ipsa aequitas iubet quauis ratione

 suc-

ſuccurrere hominibus afflictis, omnemque ab iis auertere iniuriam; ita e contrario nunquam defuere litigatores improbi, qui, vt creditores ſuos eluderent, vel lites in infinitum protraherent, beneficio appellationis turpiter fuerunt abuſi. Inde vero damna nimis grauia ſaepenumero fuere exorta. Ipſa ſalus publica poſtulat, vt prouocandi facultas iuſtis circumſcribatur limitibus. Eſt officium iudicis praecipuum lites, quantum fieri poteſt, diminuere, atque diligenter cauere, ne fiant immortales. *L. 31.* D. *de reb. credit.* et *l. 13.* C. *de iudic.* Dudum iam monuit Caſpar. Zieglerus in *Dicaſtic. Concluſ. 51.*, iudicem ſuperiorem peccare grauiter, ſi quasuis appellationes promiſcue recipiat. Quodſi igitur iudex ſuperior animaduerterit, grauamina appellationis eſſe friuola, eam haud admittere, ſed potius ſtatim reiicere debet. In Germania quidem ad coërcendam appellandi temeritatem varia paſſim adhibentur remedia. Sic in nonnullis locis appellans ante omnia iusiurandum calumniae praeſtare, vel ſuper expenſis atque euentu litis cautionem praeſtare tenetur. *Receſſ. Imper.* de anno 1654. §. 117. ſeq. Conferantur Ludouici *in der Einleitung zum Civil-Proceß Cap. 33. §. 22.* et Bergerus in *Elect. disceptat. forenſ. p. 957.* Interdum ab appellante certa pecuniae ſumma in caſum, ſi ſuccubuerit, in iudicio deponenda, de quo quidem argumento docta exſtat Heineccii *diſſertatio* Halae 1736 edita. Adde Puffendorfii *Introduct. in proceſſ. ciuil. Brunſuic. Luneburg. Part. 4. c. 1, 1, 25.* Puniuntur quoque ſaepius temerarii appellatores, praeſertim cauſſarum patroni, qui libellos appellatorios concipere ſolent, mulctis vel carcere. Haec vero omnia non impediunt, quo minus homines lucri cupiditate, vel ſtudio alios vexandi commoti viam, quam ſemel inierunt, alacriter perſequi pergant. Etenim nonnulli, qui iam ſemel, vel bis fruſtra appellarunt, eodem adhuc remedio tertia

vice

vice vti haud erubescunt. Tunc vero oritur quaestio, quemnam effectum producat eiusmodi repetita appellatio? Est quidem haec virtus appellationis praecipua, vt, ea interposita, nihil a iudice vel a partibus sit innouandum, in qua re ius pontificium cum iure ciuili conspirat. *C. 7. de appellat.* in *6to. L. vnic.* D. *nihil innou. appellat.* Nec quis iteratis vicibus auxilio prouocationis vti prohibetur. Id tantum a Iustiniano in *l. vn.* C. *ne liceat in vna eademque.* cautum est, ne quis in eadem lite super iisdem capitibus, tertia vice appellationem interponat. Sed hanc sanctionem neque in iudicio camerali Imperii, neque in aliis iudiciis Germanicis vsu seruari, testantur Brunnemannus in *Commentar.* ad *leg. adduct.* et Bergerus in *Oecon. iur. Libr. 4. Tit. 28. §. 4. not. 5.* Vsum appellandi adhuc superesse, licet Princeps in caussa rescripserit, patet ex *l. 1. §. 1.* D. *de appellat.* Quodsi vero interposita appellatio a iudice superiore iam fuerit reiecta, non temere quaeritur, num denuo appellare liceat, et num appellatio repetita effectum suspensiuum rursus producat? Hac in re putamus diligenter esse considerandum, quanam potestate praeditus sit iudex, ad quem fuit prouocatum. In prouinciis Germanicis plerumque reperiuntur plura iudiciorum genera, per quae gradatim eundum ita, vt a iudice infimo ad intermedium, et ab hoc ad superiorem confugiendum, donec quis ad supremum peruenerit. Potestas iudicis cum inferioris, tum medii, arctioribus limitibus continetur, nec is sibi facultatem arrogare potest appellationem reiiciendi cum clausula, ne viterior prouocatio locum habeat. Sed aliud dicendum de iudicio supremo, quod nomine Principis priuilegio de non appellando instructi, ius dicit. Solent vero iudicia suprema in Germania triplici modo appellationes reiicere, vel simpliciter, nulla adiecta clausula, vel certa addita clausula. Haec vero rursus duplici modo conci-

 pitur.

pitur. Prior exprimitur his vulgo verbis: *kein weiteres Appelliren zu attendiren, sich durch kein weiteres Appelliren irren zu lassen.* Posterior, quae appellari solet omnimoda, ita concipitur: *der Richter soll sich an kein Appelliren, es geschehe von wem, oder wohin es wolle, kehren.* Si appellatio sine clausula fuit reiecta, non est dubium, quin denuo appellari possit. Licet vero iterata appellatio noua grauamina haud contineat; ea tamen effectum suspensiuum aeque ac deuolutiuum sortitur, ideoque ad iudicem ad quem relatio facienda. Neque iudex, a quo prouocatum, licet probe intelligat, appellationem esse prorsus temerariam, de ea statuere potest. Confer *Mandat. Dippoldiswal.* de anno 1691. in *Cod. August. Tom. I. p. 1165.* Prouocamus hic inprimis ad *Resolut.* de anno 1716. in *Cod. August. Tom. I. p. 380.* his quidem verbis expressam: *eine mehrere Licenz aber dem* Iudici, a quo appellatum, *zu gestatten, als bereits in dem Dippoldiswaldischen Mandat* de anno 1691. *enthalten, wenn nicht vorhero in einem aus hiesiger Landes-Regierung ergangenen* Rescripto *die* Clausula remotae appellationis *enthalten, fällt aus vielen erheblichen Ursachen bedenklich.* Si vero appellatio cum clausula, vt vlterior appellatio in posterum haud sit attendenda, fuerit repudiata, appellatio repetita, quae nihil noui continet, erit inutilis atque effectu suspensiuo destituta. Qui aliter sentiunt, vim huius clausulae parum intelligere videntur, quae certe sic erit interpretanda, ne maneat otiosa. Huc accedit, quod ius pontificium nostram sententiam diserte confirmet. Ita enim Pontifex Alexander III. Archiepiscopo Senonensi in *C. 1. X. de rescript.* respondit: *quaesitum est a nobis ex parte tua, si alicuius caussa delegatis iudicibus, sublato remedio appellationis, committitur, et litteris Apostolicis altera pars munita (quibus ei generaliter est indultum, vt libere*

bere sibi liceat appellare) in vocem appellationis prorumperit: an eius in eadem caussa debeat appellationi deferri? Inquisitioni tuae taliter respondemus, quod eius in hac parte appellatio non debet admitti, postquam est caussa iudicibus, appellatione remota, commissa: Quia speciale mandatum derogat generali. Confer quoque *C. 53. X. de appellat.* Neque haec clausula ita erit accipienda, quasi ea tantum apellationem friuolam inhibeat, sed potius sic interpretanda, vt facultatem priorem appellationem repetendi adimat, licet grauato ius sibi per supplicationem prospiciendi haud sit denegandum. Nobiscum hic facit Brunnemannus in *dissertat. de appellat. rescript. princip. remot. Cap. 4. §. 6.* Solent tamen saepius iudices haerere dubii, num de appellatione repetita rursus ad iudicem ad quem referendum, an sine vllo periculo in caussa vlterius procedi possit? Iuuat igitur hac opportuna occasione afferre ea, quae Regimen Electorale Saxonicum d. 14. Iulii 1774. ad senatum Belgeranum ita rescripsit: *und habt ihr, wenn die wider einen gewissen Actum interponirte Appellation bereits von uns reiiciret, und ferneres Appelliren nicht zu attendiren anbefohlen worden, dergleichen aber von dem nehmlichen Appellanten wider eben diesen Actum, ohne Anführung eines neuen Umstandes oder Grauaminis, eingewendet wird, deren ohngeachtet, vorhin anbefohlnermaaßen zu verfahren, und erst nachgehends, der neuerlichen Appellation halber, Bericht zu erstatten.* Ex his vero satis est perspicuum, appellationem repetitam ab eo, cuius prior appellatio a Principe cum clausula dicta fuit improbata, quae noua grauamina haud proponit, non effectum suspensiuum, sed tantum deuolutiuum gignere, ideoque iudicem, qui vlterius in caussa quid decernit, attentatum haud committere. Cautum tamen oportet esse iudicem, ne plus iusto sibi arroget. Nam si in ap-

pellatione reiterata noua insunt grauamina, ei effectus suspensiuus non erit denegandus. Idem dicendum, si tertius, cui potestas adhuc appellandi salua est, ad iudicem superiorem prouocauerit. *C. 20. X. de offic. et potestat. iud. delegat.* Quae cum ita sint, facile intelligitur, etiam istius clausulae vim non esse tantam, vt omnem litem prorsus tollat. Sed maiorem vtilitatem praestat clausula omnimoda, quae quidem id efficit, vt omnis appellatio, a quocunque et ex qualicunque caussa ista fuerit interposita, omni effectu careat, atque non solum iudici, sed et parti aduersae plenam securitatem tribuat. Non possumus non hic commendare ea, quae Leyserus in *Specim. 654. Meditat. 1. seqq.* docte ac prudenter admonuit.

III.

Promissio debitoris, qua appellationi in futurum renunciat, est valida.

Saepius debitores in chirographis, quae creditoribus super mutuo accepto exhibent, expressis verbis declarant, se mutuum constituto tempore sine vlla mora reddituros, nec, si moram commiserint, creditorum desiderio vllum impedimentum esse obiecturos. Securitatis caussa plerumque certa clausula inseritur, qua debitores beneficiis iuris, inprimis vero appellationi in futurum renunciant. Haec promissio, dum a creditore accipitur, vim pacti renunciatiui consequitur. Sed haud leuis oritur dubitatio, num eiusmodi pactum sit iuri satis consentaneum, et num eo debitori omnis in posterum appellandi facultas adimatur? Pacta tantum iniri possunt de rebus aut factis licitis, minime vero de iis, quae legibus sunt contraria. In omni quidem renunciatione duplex vis inesse videtur, cum vnus ius sibi competens remittat, alter vero inde aliquod commodum adipiscatur. Hinc Stryckius *de cautel. contract. Sect. 1. cap. 5.*

cap. 5. §. 4. facultatem renunciandi duntaxat iis, quibus donare vel alienare permissum est, tribuendam esse existimat. Nec negandum, quasdam renunciationes esse prorsus inutiles atque irritas. Sic vanum profecto est renunciare iuri, quod quis nec in praesenti habet, nec in posterum habiturus est, veluti hereditati, quae ei haud defertur. Renunciationes vero legibus prohibitiuis contrariae sunt irritae. Pactum, quo partes litigantes promisere, se aduersus sententiam beneficio appellationis haud esse vsuras, olim Wisigothi improbarunt. Etenim *L. Wisigothor. Libr. 2. Tit. 1, 27.* ita praecipit: *vidimus interdum, iustitiam ab iniquis iudicibus et suo loco seclusam, et debito vigore solutam: iniustitiam autem et loco iustitiae introductam et multis modis decretorum vinculis alligatam. Quidam enim postquam iudicia iniusta conscripserint, aut vnam aut ambas caussantium partes, placitorum inter se nexibus ligant, in iniuste datum iudicium quandoque iusta contentione resoluant. Adeo vbi non directus et bene placitus est conuenientiae modus, sed vbi pro comprimenda iuste caussantis intentione vel voce reperiuntur quocunque modo definitionum vincula conligata, omnibus modis habeantur inualida, nec sint adinuentionis alicuius connexione firmata.* Haec vero lex eiusmodi pacta non in vniuersum, sed ea tantum improbat, quae iudex dolo malo elicuit, vt nanciscceretur liberius pro arbitrio ius reddendi arbitrium, quae quidem pro irritis declarat. Nec leges Germanorum priscae hodie in foris nostris amplius vsum praestant. Potius in hac re standum erit iuri Romano, quod omnia pacta legibus moribusque bonis haud repugnantia rata esse, iubet. *L. 7. §. 7.* D. *de pact.* Ius ciuile litigantibus eam potestatem permittit, vt pacto interueniente, appellationi renunciare possint. Sic enim Iustinianus in *l. 5 §. 6.* C. *de temporib. et reparat. appellat.* constituit: *sin autem partes*

tes inter se, scriptura interueniente, paciscendum esse crediderint, nemini parti licere, ad prouocationis auxilium peruenire, vel vllum fatale obseruare, eorum pactionem firmam esse censemus. Legum enim austeritatem in hoc casu volumus pactis litigantium mitigari. Quae hic Iustinianus de facultate paciscendi circa fatalia tradit, ea hodie locum non habent, quia fatalia libero litigantium arbitrio haud sunt subiecta, vt ideo pactum de iisdem haud obseruandis, vel de iisdem minuendis, sit irritum. Eorum tamen prorogationem ex caussa iusta a iudice fieri posse, iam monuere alii. Meuius *Part. 4. decis. 330.* et Wernherus *Part. 7. Obseruat. 216.* Ceterum vero *dicta Constitutio* et hodie in iudicando erit sequenda, cum quiuis iuri proprio libere renunciare queat, ex pacto valido vero oriatur obligatio ad fidem pacto datam religiose seruandam. *L. 29. C. de pact.* Etiam, lite forensi iam oborta, litigatoribus ei renunciare permissum est. Confer Illustr. Io. Adam. Theophil. Kindii *Quaest. forens. Tom. III. cap. 28.* Actoris renunciatio reum reddit securum, nec pristina lis amplius erit resuscitanda. Si reus renunciat, videtur id, quod actor petit, confiteri, vt ideo haud mirum sit, eum vulgo condemnari. Sed non existimandum, semper opus esse pacto expresso ad id, quod quis remedio suspensiuo vti nolit. Si enim debitor a creditore iam conuentus in iudicio declarauerit, se a iudice non esse prouocaturum, hac quidem professione obstringitur, quam sententiam confirmat Vlpianus in *l. 1. §. 3. D. a quib. appellar.* his verbis: *si quis ante sententiam professus fuerit, se a iudice haud esse prouocaturum, indubitate prouocandi auxilium perdidit.* Neque iniuria denegabitur appellationis beneficium ei, qui, lite per transactionem composita, rei iudicatae se satisfacturum, et pecuniam debitam intra certum diem soluturum, promisit. *L. 40. §. 1. D. de pact.* Succurrere

currere debet iudex actori ius suum alacriter persequenti, nec pati, vt fides publice data callidis tergiuersationibus eludatur. Ex his, quae iam attulimus, satis cognoscitur, et hodie esse licitum omnibus contractibus adiicere pactum, in quo quis remediis suspensiuis, in specie vero appellationi in futurum renunciat. Ita quoque statuit Bergerus in *Elect. disceptat. forens. Tit. 35. Obseruat. 3. not. 1.* Quodsi renuncians nihilosecius contra fidem pacti appellationem interponat, iudex quidem de ea ad iudicem superiorem referre debet, sed superior eam haud facile admittet, nisi renunciatio temere fuerit facta, veluti ab homine beneficii, cui renunciauit, prorsus ignaro, vel, nisi is fruatur beneficio restitutionis in integrum.

IIII.

Vxor Saxonica interdum, inscio, quin inuito marito, curatorem sibi merito expetit.

Num vxor in Saxonia, marito haud consentiente, curatorem sexus accipere possit, est quaestio anceps, de qua in vtramque partem disceptari solet. Sunt, qui id affirment, vti Bergerus in *Elect. disceptat. forens. Tit. 8. Obseruat. 5, 5,* et Barthius in *Hodeget. forens. p. 117.* Alii vero hoc negant, veluti Hommelius in *Rhapsod. Obseruat. 266.* Winckler us ad Bergeri *Oeconom. iur. Libr. 1. Tit. 4. thes. 6. not. 4*[b] et Wernherus in *Iurisprudent. formular. p. 26.* Huius controuersiae quoque mentionem facit Schottus in *Institut. iur. Saxon. Libr. 1. Sect. 2. c. 8. §. 33, 3,* ipse tamen eam non decidit. Negantium ratio praecipua in eo est posita, quod marito ipsis legibus cura vxoris deferatur, quae, marito inscio, nullo modo minui possit. Feminas in vniuersum ob infirmitatem sexus, perpetuae tutelae esse subiiciendas, non temere olim sibi persuasere Romani. Confer de hoc argumento inprimis Euerard.

Ottonis *dissertat. de perpet. feminar. tutel. Cap. 1.* Eundem quoque morem obseruarunt nationes Germanicae, id quod ex legibus priscis copiose ostendit Heineccius in *dissertat. de marit. tutor. et curator. vxor. legitim. Cap. 2.* In *iur. prouinc. Saxon. Libr. 1. art. 45.* cura maritalis ita exprimitur: *und ob wohl ein Mann seinem Weib nicht ebenbürtig wäre, ist er doch ihr Vormund, und sie ist seine Genossinn, und tritt in sein Recht, wenn sie in sein Bette tritt.* Inde vero perspicue apparet, etiam feminam conditionis superioris, si nupsisset marito inferioris ordinis, in eius tutelam venisse. Huic adiungimus alium locum, qui eandem sententiam corroborat, simulque docet, vxorem post obitum mariti, pristina iura recuperasse: Ita enim *Libr. 3. art. 45.* traditur: *der Mann ist auch Vormund seines Weibes zu Hand, als sie ihm getrauet wird. Das Weib ist auch ihres Mannes Genossinn, aller der Ehren und Würdigkeit zu Hand, als sie in sein Bette tritt, und nach seinem Tod, so ist sie ledig von allen seinen Rechten und Ehren. Denn sie behält wieder ihren Stand und Recht, das sie angebohren war, ehe sie den Mann nahm.* Hanc curam maritalem ius Saxonicum recentius retinuit. *Constitut. 15. Part. 2.* et *Decis. 24.* de anno 1661. Nam et hodie maritus bona vxoris administrat tamquam eius curator legitimus, atque iis simul, more antiquitus inter Saxones recepto, quem docte exposuit Petr. de Ludewig in *dissertat. de different. iur. Roman. et German. in fructuum attribut. inprimis tutel. fructuar.* vtitur atque fruitur. Neque vxor de bonis suis sine mariti consensu, disponere, vel aliud magni momenti negotium suscipere potest. Fac, eam marito inscio, mutuum contrahere, et super eo creditori dare chirographum, ex eo nulla nascitur obligatio. Ita enim disertis verbis cautum est in *Mandat. d. 18. Nouembr. 1722.* euulgato *von Verschreibungen und Obligationen*

gationen derer Weibespersonen. Id certum est, curam maritalem tam esse amplam, vt ad omnia negotia, ex quibus marito damnum oritur, pertineat. Tantum vero abest, vt nos iura maritorum minuere velimus, vt potius ea summo studio tuenda esse, existimemus. Ipsi hanc regulam, vxorem Saxonicam, nisi maritus consentiat, sibi curatorem expetere haud posse, sequendam esse, arbitramur. Sed, cum nonnulli hac regula in fraudem ac perniciem mulierum abutantur, ea iustis terminis erit coërcenda, ne feminis, quibus iura ob imbecillitatem sexus subueniunt, vlla inferatur iniuria. In matrimonio multa accidere possunt, quae potestatem ac curam maritalem vel prorsus tollunt, vel saltim suspendunt et minuunt ita, vt regula proposita suum officium perdat. Huic rei illustrandae quasdam subnectere iuuat species. Huc pertinet, si maritus in furorem vel dementiam inciderit, vel si is graui morbo impediatur, quo minus mentem suam declarare possit. Haec exceptio vti aequitati naturali, ita etiam analogiae iuris conuenit. Neminem fugit, iure Romano ad sponsalia liberorum legitima desiderari consensum parentum, quorum potestati adhuc subsunt. Nihilo secius et liberis patris furiosi matrimonium contrahere fuit permissum, dummodo obseruassent formam in *l.* 25. C. *de nupt.* praescriptam. *Prooem.* I. *de nupt.* De marito tam grauiter aegrotante, vt animi sensa satis perspicue exprimere nequeat, idem erit statuendum. Hoc vero etiam tunc obtinet, si maritus in alienas terras discesserit, atque de domicilio absentis haud constet. Vtiliter hic applicaueris, quae Paulus in *l.* 10. D. *de nupt.* ita tradit: *si ita pater absit, vt ignoretur, vbi sit, et an sit, quid faciendum est, merito dubitatur? Et si triennium effluxerit, postquam apertissime fuerit pater ignotus, vbi degit, et an superstes sit, non prohibentur liberi eius vtriusque sexus matrimonium vel nuptias legitimas contrahere.*

trahere. Non tamen hodie amplius triennium exſpectandum, ſed potius arbitrio iudicis tempus morae eſſe definiendum, ſumus ſatis perſuaſi. Pariter vxor deſerta, vel prorſus neglecta, quae mariti auxilio deſtituitur, fauore feminae ſolutae, cui ſimilis eſſe videtur, merito frui debet. Huc quoque referimus vxorem militis ab hoſte capti, de cuius vita nihil compertum eſt. Ipſa aequitas ſuadet, vt vxori, cuius maritus propria culpa in eam conditionem venit, vt iura maritalia amplius haud exerceat, ſuccurramus et feminae conſilio curatoris citra ſuam culpam orbatae, alium curatorem, licet maritus ignoret, vel etiam conſentire nolit, aditungamus, ne ea praeſidiis ad bene viuendum neceſſariis carere cogatur. Sic, teſte Bergero, in *Deciſ. N. 60.* ſupremus prouocationum ſenatus anno 1675. cenſuit, vxori a toro et menſa ſeparatae, cum maritus eidem alimenta denegaſſet, competere poteſtatem immobilia ſine conſenſu mariti vendendi. Quin et vxori, licet maritus diſſentiat, a iudice curator ſpecialis dari poteſt. Hoc praeſertim obuenit in cauſſis matrimonialibus, quando vxor actionem aduerſus maritum in iudicio eccleſiaſtico inſtituit, vt matrimonium tamquam nullum reſcindatur, vel vt a toro et menſa ſeparetur, vel etiam, vt diuortium decernatur. Si maritus patrimonium ſuum dilapidare incipit, et metuendum, ne is ad incitas redigatur, etiam conſtante matrimonio, vxor a marito prodigo cautionem idoneam exigere, quin ob imminens graue damnum dotem repetere poteſt. *L. 10.* D. *ſolut. matrimon.* et *l. 29.* C. *de iur. dot.* Tunc vero iudex vxori de damno vitando laboranti gratum praeſtare debet auxilium, atque eius deſiderio, ſi ſibi curatorem dari cupit, ſatisfacere.

Wittenberg, Diss; 1799-1801

vol 18

f

Sb.

DISCEPTATIONES IVRIS

QVAS

PRAESIDE

D. GEORGIO STEPHANO WIESANDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE A CONSILIIS SVMMI PROVOCATIONVM SENATVS DECRETALIVM PROFESSORE PVBLICO FACVLTATIS IVRIDICAE ORDINARIO CONSISTORII ECCLESIASTICI DIRECTORE CVRIAE PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORE

DIE VII. MART. A. R. S. CIↃIↃCCCI.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS

DEFENSVRVS EST

FRIDERICVS CHRISTIANVS LEONHARDI

LIPSIENSIS.

SPECIMEN VI.

VITEBERGAE.

LITTERIS ADAMI CHRISTIANI CHARISII.